



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 108. Lutheranorum ausus a Cæsare repressi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII A.C. 1615 bus Cæsare, Daniæ & Angliæ Regibus, se soluta obsidione exercitum omnem abducturum spondebat, dummodo cives quoque ab armis cessarent: hacigitur ratione die vigesima prima Decembris inter Fridericum Ulricum Brunsvicensem Ducem, & civitatem Steterburgi pax his pactis conclusa est. I. Dux omnia civitatis privilegia, jura atque immunitates salvas servet. II. Senatus, civesque Duci fidelitatis homagium exsolvant, eumque pro legitimo suo Duce habeant. III. Pacta jam olim cum civibus inita, salva permaneant. IV. Ceteræ lites circa Ducis jurisdictionem Cæsarei tribunalis iudicio decidantur. V. Denique, omnia in pristinum statum redigantur. Ceterum toto obsidionis tempore ex Ducis exercitu duodecies mille, ex civibus vero tricies mille partim periere, partim vulnerati sunt.

## §. CVIII.

*Lutheranorum ausus a Cæsare repressi.*

*Merc. Gallobelg. t. 10. l. 3. -* Struxerant Pragenses Lutherani jam anno priori novum quoddam Templum, quod titulo *Salvatoris* honestabant, ac die quinta Octobris quadam Catholicæ consuetudinis imitatione, ple-

plebisque ac nobilitatis acatholicæ con-  
 cursu maximo necnon concione habita,  
 & decantato Hymno Ambrosiano de-  
 dicarunt, illud absdubio simul Catho-  
 licorum ritu consecraturi, si ex sectæ  
 præscripto Pontificem habuissent: Hoc  
 autem anno Joannes Philippus Saxo-  
 niæ Dux eandem ædem famoso aulæ  
 suæ Declamatore Matthia Hohe apo-  
 stata honorabat, qui die sexta Augusti  
 novum hoc sanum renovatis facundiæ  
 suæ crepitaculis implens, in ipso statim  
 dictionis exordio stupidam auditorum  
 suorum multitudinem tot insulsis affe-  
 ctuum blandimentis, solatiorum fom-  
 mentis, ac laudum præconiis demulce-  
 re studuit, ut plausu manuum, læ-  
 toque muliercularum susurro omnia fer-  
 verent: Sub idem tempus Nobilis qui-  
 dam Lutheranus nomine Joannes Bac-  
 lebius Pragensium exemplo stimulatus,  
 necnon formidolosa illorum temporum  
 conniventia utendum ratus, pariter in  
 suo prædio, quod San- Ulricum diceba-  
 tur extra civitatem Viennensem, ædem  
 erexerat, pro qua quemdam Augusta-  
 næ Confessionis Præconem aliquamdiu  
 aluerat: cum autem novo hoc ausu Ab-  
 batem San- Schotanium, cui jus Patro-  
 natus in hæc loca a multis jam annis  
 debebatur, possessione sua destituisset,  
 ipsoque facto spoliasset, hinc Cæsar

Sæc. XVII.  
 A. C. 1615.

*Hist. Eccles. Tom. LV.* Gg Vien-

Sæc. XVII. Viennam reversus, atque a præfato  
 A. C. 1615. Abbate interpellatus novum, inusita-  
 tumque hoc concionandi exercitium ad  
 San-Ulricum edito decreto abrogavit,  
 ac conductitium hunc declamatorem  
 protinus ditione Austriaca excedere jus-  
 sit. Vix de hoc edicto fama percrebuit,  
 cum illico Protestantes Austriæ Status  
 in lamenta effusi, non modo abrogatum  
 hoc Religionis exercitium restitui, sed  
 insuper plebeio etiam Statui sectam  
 suam publice in oppidis & vicis profi-  
 tendi libertatem concedi postularent. Ve-  
 rum Cæsar eisdem declarabat, quod  
 „pro officii sui ratione omnibus justitiam  
 „administrare, & jus suum cuique sar-  
 „tum tectumque servare, proin æque  
 „Abbatis petitioni deferre teneatur: hanc  
 „autem causam nunc ad iudicium de-  
 „latam, meritoque ejus decisionem  
 „expectandam dicebat, addens, quod  
 „ipse, quod pro administranda unicui-  
 „que parti justitia semel tum statuisset,  
 „jam rescindere, atque immutare haud  
 „valeret: interim tamen & Abbati, ut  
 „negotium promoveret, & Catholicis  
 „Statibus, ut pro constituendo æquali  
 „iudicio suos quoque denominarent,  
 „quantocius a se præceptum asserebat,  
 „adjungens, se non dubitare, quin Sta-  
 „tus Protestantes, quod ad alia attinet,  
 „responsioni suæ & aliquoties repetitæ  
 „decla-

„declarationi acquieturi, nec novis & Sæc. XVII.  
 „non necessariis sollicitationibus causam præbituri, sed hæreditarium sibi A. C. 1615.  
 „jus in Cives suos saluum conservaturi  
 „sint; cum ipse nec a declaratione jam  
 „facta recedere, nec ampliora permit-  
 „tere posset,“ Hoc quidem responso  
 sedatus est hic tumultus, qui tamen  
 progressu temporis occasionem præbuit  
 conspirationi Bohemicæ in Cæsarem ab  
 Acatholicis conflatæ.

§. CIX.

*Adversa Cari Sommerfeti Comitis  
 fortuna.*

Hucusque Carus Sommerfeti Comes  
 tanta apud Jacobum I. Angliæ Re- *Rapin hist.*  
 gem gratia valebat, ut non modo ce- *D'angl. l. 18.*  
 teri Proceres eidem invidiam concitare *Calmet Hist.*  
 adlaborarent, sed ipsa etiam Regina in *Univ. l. 252.*  
 ejus excidium cum Rudolpho Winwo- *Relat. Hist.*  
 do conspiraret; eo quod Comitem vio- *contin. p. 93.*  
 lentæ necis Henrico Walliæ Principi il-  
 latae auctorem suspicaretur, seque ab  
 hoc Regis Cliente vilipendi crederet:  
 Sub idem quoque tempus ipsemet Rex  
 Georgium Villerium Licestriensem No-  
 bilem in paucis charum habere cæpe-  
 rat, eumque Regium Pincernam con-  
 stituerat, ringente licet Sommerfeto  
 Comite, qui nascentem Regis propen-  
 sionem